

XV.

**Den theologiske Professor Dr. Hans Vandals
Selvbiografi.**

Til den i Overskriften nævnte, i Aaret 1710 afdøde Mands Historie har dette Tidsskrift (N. k. S. VI.) tidligere bragt hans egen Fremstilling af Striden mellem ham og Biskop Henrik Bornemann, i Anledning af at Vandal 1693 var bleven forbigaaet ved Besættelsen af Sjælands Bispestol, som han mente at have Adkomst til. Nærværende lige-

ledes egenhændige Selvbiografi findes i Kgl. Bibl., Gl. kgl. Saml. 3022. 4to.

Johannes Wandalinus Joh. fil.

SS. Theol. D. et in Reg. Univ. Havn. Prof. Primarius in Colleg. Cons. Assessor ¹⁾).

Primam lucem aspexit Hafniæ d. 14 Januarij A° 1656 bissextili. Parentes habuit, Patrem quidem summe venerabilem Johannem Wandalinum, SS. Theol. Doctorem et Professorem P. postea Episcopum Siælandiæ et Facult. Theol. Decanum, filium Joh. Wandalini, SS. Theol. Doct. et Episcopi Viburgensis: Matrem nobilissimam et generosissimam Matronam Annam Catharinam Winstрупiam, filiam plurimum venerabilis Petri Winstрупii, SS. Theol. Doct. et Episcopi Scaniæ, filii Petri Jan. Winstрупii, SS. Theolog. Doct. et Episcopi Siælandiæ. Filium hunc suum Parentes primo recens editum salutari baptismi lavacro regenerari et Christo Salvatori inseri, quod factum 16. Januar. Domin. 2 post Epiphan., inde a prima pueritia tum rudimentis doctrinæ Christianæ, tum literis humanioribus imbuere a privatis Præceptoribus pia solitudine curabant, usque ad annum ætatis duodecimum; quo in publicam Scholæ Metropolitanæ disciplinam traditus, Rectore celeberrimo Mag. Georgio Hilario, Philos. Profess. P., ita per quadriennium in Lingvis et Artibus profecit, ut maturus Academicis in Universitate studiis judicaretur. Anno itaque 1671 laudabili testimonio munitus, in Civitatem Academicam receptus est, Rectore Magnifico Doct. Thoma Bartholino, et sequente 1672 prima in Philosophia lauro ornatus a Spectabili Decano Doct. Erasmo Bartholino. Quo stimulo excitator, in publicis Disputationibus non raro se exercuit, nunc respondendo, nunc opponendo, nunc et præsidendo: imo in Lingvis exoticis varios habuit Magistros, præcipue vero in Orien-

¹⁾ Hvad der er sat med Petit, er tilføjet med Prof. S. Lintrups Haand.

talibus, Arabica maxime, addiscendis opera usus est celeberrimi Viri Mag. Theodori Petræi, qvi in variis Orientis partibus ætatem fere consumserat, notissimus istarum Lingvarum Magistris. In studio autem Theologico, cui se præprimis addixerat, eos profectus fecit, ut in Examine publico Theologico laudabilem attestationem, ut et specimine concionatorio deinde edito, meruerit. Itaque cum supra quadriennium Patriæ Universitati, varias inter exercitationes ingenij publicas et privatas, usus quoque Bibliotheca divi Parentis instructissima, et elaboratis in lituras et expurgationes multiplices, quas ab Hispanica inquisitione passa erant duo exemplaria impressa, alterum Bibliothecæ Patrum edit. Bigneæ, alterum librorum Augustini de Civ. Dei, edit. Lud. de Vives, censuris, nondum publicatis, impendisset, moritur Parens, acerbum sui desiderium in Ecclesia et familia relinqvens, 1 Maji 1675. Qvem dolorem, sibi satis præmaturum, ubi parumper concoxerat, ad externos se contulit, primum quidem maritimo in Norvegiam, inde in Angliam itinere, vergente æstate Londinum advectus, ibique Magnum Regni Concilium, quod Parlamentum vocant, nactus ea vidit et observavit, quæ occasionem præbuere addiscendis illius gentis institutis, non minus quam Emporij maximi artibus politicis. Post aliquot septimanarum moram ad incomparabilem illam Oxoniensem Universitatem discessit, annumque integrum quotidiano usui Bibliothecæ publicæ Bodlejæ-Seldenianæ, ut et celeberrimorum Doctorum Pocockij, Wallisij, Bathurstij, Bernardi, in primis vero Episcoporum, Doct. Fellij Oxoniensis et Doct. Barlovij Lincolniensis consecrati, familiaritati insumsit. Interea facta in occidentales Angliæ provincias excursionem, oculis subiecit notabiliora, quæ Bristoviae, Bathis, Sarisburii et Windesoræ occurrebant. A° 1676 mense Septembri Cantabrigiam abiit, alteram Angliæ eandemque non minus celebrem Universitatem, in eaque cum inclytis Viris DD. Castello, Barrovio, Spencero, Cudwortho aliisque, item Gunningio Eliensi Episcopo, per octomestrem spatium amicitiam coluit, non neglecta ibi

quoque publicæ Bibliothecæ commoditate. Jamque Belgium meditans A° 1677 Londinum revertitur, et mox salutatis præsulibus, Cantuariensi Primate Gilb. Sheldon et Londinensi Episcopo Henr. Compton, per Colcestriam adiit Harvicum, ut inde solveret, et in Mæsæ fl. ostia transfretaret. Appulit itaque Brielam, sed mox Bruxellam digressus vidit Antverpiam, Mechliniam, Lovanium, et Hollandiam repetens per Roterodamum, Delphas, Hagam Comitum, venit Lugdunum Batavorum, ibique Universitati nomen dedit, Rectore clarissimo Stephano Le Moyne, cui paulo ante apud Oxonienses innotuerat. Innotuit tum quoque aliis ibidem Theologis Frid. Spanhemio et Hulsio, ut et aliis ex Professorio ordine: illiusque ætatis ibi maximam partem, reliquam Amstelodami et Neomagi transegit. Confluxerant in hanc Geldriæ urbem Regum et Principum Europæ Legati acturi de pace; quamobrem eò se contulit, visu audituque digniora observaturus, admissusque est ad quotidianum fere convictum Excellentiss. Dñi Justini Høg, Legati Danici extraordinarij. Et paulo post festinato per vicinam Cliviam aliaque ad Rhenum oppida Coloniam Agrippinam usque decursu, per Mæsam fl. in Bataviam reversus est, ita tamen ut statim Amstelodamo discesserit, maturaretque iter in Germaniam in Septemb. 1677. Transiit itaque Transisalaniam, Episcopatum Monasteriensem, Comitatum Oldenburgensem et Ducatum Bremensem, et cum per aliquot dies substitisset Hamburgi, resumto itinere per Luneburgensem, Marchicum, Magdeburgensem, Anhaltinumque tractus Lipsiam venit. Hic per dimidium anni studiis vacavit, usus amicitia ac consuetudine summorum Virorum D. Schertzeri, D. Carpzovij, D. Olearij et D. Valent. Alberti; nec interea neglexit splendorem aulæ Elector. Dresdensis mense Februario A. 1678 propius intueri, cum ad geniales ante quadragesimam ludos a Principibus fere omnibus utriusque sexus domus Saxonicæ frequentaretur. Sed confestim Lipsiam reversus ad Wittebergensem Universitatem commeabat, ubi in ædes B. D. Calovij acceptus, Senem optimum et Vete-

ranum Theologum præ primis coluit, et ab eo vicissim ut filius est amatus, aliis vero, sc. D. Quenstedio, D. Deutschmanno Theologis, et D. Casp. Zieglero Juris Antecessori, apprime notus. Certior quoque factus a Vener. Facultate Theol. Hafn. de tractatu anonymo contra B. Parentis sui Dissertationem de esu sangvinis edito, opposuit illi »Vindicias Libert. Christ. circa Sangvinem escarium«, Wittenbergæ impressas. Mense Decembri ejusdem anni 1678, cum in eo esset, ut Italiam, Galliamque inviseret, tristi nuncio de charissimæ Matris obitu, a proposito retractus est. Ut itaque desolatæ afflictæque familiæ adesset, reditum in patriam accelleravit, conspicatus tamen obiter in via, parumper ad dextram flexa, Electoralem aulam et urbem Berolinum.

Post reditum vero ad suos et res domi constitutas, vere ineunte A. 1679 in Scaniam transiit ad Avum Maternum Episcopum Doct. Petrum Winstrupium, jam valde Senem, cum eodem tempore tractatio Pacis inter Reges Septentrionis Lundæ inchoata esset. Iterum A. 1680 defuncto eodem Avo justa solvenda erant, Scaniam repetiit, ibique usque ad autumnum commoratus, literas ab illustrissimis Reg. Scholæ Soranæ Ephoris, Magno Cancellario Comite de Ahlefeld, et Regni Mareschallo Dño Körbitz, accepit, quibus ad ejusdem Scholæ Rectoratum vocabatur. Munerique illi, solenniter initiatus ab Episcopo max. venerando B. D. Joh. Baggero, omni fide et solertia, nec sine conspicuo fructu præfuit in tertium annum: quando a S. Reg. Maj. vocatus ad Professionem Lingvæ Ebrææ et extraordinariam Theologicam, mortuo Mag. Georgio Johannis, publica Disputatione Philologico-Theologica eandem auspicabatur A° 1683 paulo ante Pentecosten. Sed haud ita diu post, decedente B. Doct. Christiano Noldio, eam cum ordinaria Professione Theologiæ commutabat, simul inter Consistorij Assessores adscitus. Ex quo tempore vicesimus quintus annus labitur primo nunc ista in Professione et seniori. Interea Doctorali titulo et honore, inter tres

Candidatos supremus, in Templo D. Virginis a Decano Facult. Theol. D. Baggero A° 1687 condecoratus fuit; et Rectoralem in Universitate purpuram ter gestavit, A° 1688, 1697 et continuo, graves ob causas, biennio A. 1706 ac 1707, nec unam sibi ab Augustissimo Rege oblatam Episcopalem infulam modeste recusavit. Uxorem duxit A. 1684 lectissimam Virginem Annam Mariam Poggenberg, Regij Teloniarchæ Hafniensis Friderici Poggenberg filiam, ex qua novem liberos suscepit, quorum tres filiæ in puerili ætate cælo receptæ, sex supersunt, nempe duo filij, Johannes Fridericus et Johannes, quatuor filiæ, Anna Catherina, Anna Margareta, Helena, Maria Dorothea. Quid vero egerit in officio, quos labores exantlarit, quomodo voce et scriptis docuerit, quemque zelum habuerit pro Ecclesia atque ejus orthodoxia, imo pro Universitatis bono, quibus denique moribus privatim et publice vixerit, loquetur præsens ætas, et, si digna fuerint, ad secuturam posteritatem transmittet.

Scripta publicis typis edita:

Vindiciæ Libertatis Christianæ circa Sangvinem escarium. Wittebergæ 1678 in 8.

Concordiæ Prophetico-Evangelicæ prodromus de Prophetis et Prophetiis. Hafn. 1683 in 4.

De Fundamento Fidei et Salutis Dissertationes Theolog. IV. Hafn. A. 1687. 1688. 1690. 1691. denuo impressæ Hafn. 1705 in 4.

Synopsis Controversiarum Anti-Syncretisticarum potiorum. Hafniæ 1688 in 4.

De Susceptoribus apud Baptismum Schediasma Theolog. Hafniæ 1689 in 4.

Diatribæ de Vaticanij Patriarchalis Gen. XLIX. vero sensu et complemento. Hafniæ 1689 in 8.

Underretning om den Calvinske Lærdoms urigtighed. Hafniæ 1690. denuo impress. Hafn. 1695. Ofuersatt paa tydsk og trygt Francof. et Lipsiæ 1697 in 8. et 12.

Chiliasmi Veteris et Novi orthodoxa Consideratio, cum Præfat. de novis Revelationibus. Hafniæ 1692 in 4.

De Gratia convertente Theses Theolog. Hafniæ 1693 in 4.

Dissertatio de Discrimine Peccatorum actualium primario.
Hafniæ 1694 in 4.

Meletemata in Historiam Achabi pœnitentis 1 Reg. XXI.
Hafniæ 1695 in 4.

Dissertatio de statu animarum fidelium post excessum e corpor.
Hafniæ 1696 in 4.

Dissertatio de notis veræ Ecclesiæ, Hafniæ 1699 in 4.

Oratio in piam memoriam Dñi Marci Giæe, Hafniæ 1698
in fol.

Oratio Parentalis in obitum glor. mem. Christiani V. Regis.
Hafniæ 1699 in fol.

Discussio spei speciosæ de conversione Judæor. illustri ex
Rom. XI. Hafn. 1702 in 4.

Hypotyposis sanorum verborum, s. Brevis Expositio S. Theo-
logiæ in thesi et antithesi. Hafniæ 1703.

Eadem additione præcipuorum casuum conscientiæ auctior.
Hafniæ 1707.
